

De Atilio Regulo

Regulo ob res bene gestas imperium in annum proximum prorogatum est. Quod ubi ille cognovit, scripsit senatui villicum suum in parvo agello, quem habebat, mortuum esse, et servum, occasionem nactum¹, aufugisse, ablato instrumento rustico. Quare se petere ut sibi successor in Africam mitteretur, ne deserto agro pecunia deesset unde uxor et liberi alerentur. Senatus res quas Regulus amiserat publica pecunia redimi iussit: agellum colendum locavit, et alimenta coniugi ac liberis praebeuit. Poeni deinde, a Regulo crebris proeliis devicti, a Lacedaemoniis auxilium petierunt. Lacedaemonii² Xantippum, ducem peritissimum, Carthaginiensibus miserunt, a quo Regulus victus ultima pernici³ ipse captus est. Deinde Romam de permutandis captivis dato iureiurando missus est, ut, si non impetrasset⁴, rediret ipse Carthaginem. Qui cum Romam venisset, patribus mandata exposuit, et primum ne sententiam diceret recusavit, causatus se, quoniam in hostium potestatem venisset, iam non esse senatorem. Iussus tamen sententiam aperire, negavit esse utile captivos Poenos reddi, quia adolescentes essent, ipse vero iam confectus senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt. Regulus deinde cum retineretur a propinquis et amicis, tamen Carthaginem rediit: neque vero tunc ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci; sed iusiurandum conservandum putavit. Reversum Carthaginienses omni cruciatu necaverunt: palpebris enim resectis aliquandiu in loco tenebricoso tenuerunt; deinde cum sol esset ardentissimus, repente eductum intueri caelum coegerunt; postremo in arcam

¹ Nanciscor, eris, nactus sum, i = invenire

² Lacaedemonius, a, um = Spartanus, a, um

³ Pernicies, ei = caedes, "strage"

⁴ Impetro, as, avi, atum, are = adipisci id quod rogatur

Rif.: Roma aeterna, cap. XLI

ligneam incluserunt, in qua undique clavi praeacuti eminebant. Ita dum fessum corpus, quocumque inclinaret, stimulis ferreis confoditur, vigiliis et dolore continuo extinctus est. Hic fuit Atilii Reguli exitus, ipsa quoque vita, licet per maximam gloriam diu acta, clarior et illustrior.

Charles François Lhomond, *De viris illustribus urbis Romae*, mod.

(Ivana Milani)